



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Cap. VII. Varia eius elogia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

quid animo gereret, reuelavit. Quo comperto, vir sanctus à Deo hanc inspirationem descendisse, intellexit; confidensque per eius industriam ad effectum posse perducì, quod ipse diu mente conceperat, misit eum, adiunctis aliis nonnullis in siluam, quæ Buchonia dicitur, ad locum videlicet, vbi nunc situm est Fuldense monasterium, vt exstirpatâ nemorum densitate, aliquos Deo famulantes ibi congregaret; quibus & ipse pij patris officio præesse studeret. Venerabilis itaque Sturmus Abbas, anno decimo postquam Fuldense fundauerat cœnobium, & ibidem multos in seruitium Dei coadunauerat, sanctique ac Deo dilecti magistri sui Bonifacij triumphum passionis consummatum esse cognouerat, destinatus à Rege Carolo ad gentem Saxonum iugo fidei subiugandum, modis omnibus curam adhibuit, vt populum Domino non paruam acquireret, instansque oportune, importune, docebat eos, vt idola & simulachra vana derelinquerent, & ecclesias ædificarent. Cuius prædicationis instantiâ dicta gens Saxonum mollita, Domino credit, & à beato viro Christianæ religionis initia sumpsit. Confortatis verò multis in fide, rediens à prædicatione, regressus est in Fuldense cœnobium; gratulatusque suis ad videndum fratribus aduenit; cum quibus quotidie in augmentum spiritualium virtutum semet exercens, in omnibus actibus suis se eis præbuit exemplum.

Atque hæc mihi quidem de S. Sturmionis anteaactæ vitæ memoriâ cognoscere, & è tenebris eruere licuit. Verùm multo maxima ei gratia habenda foret, qui genuinam ipsam vitam, vt à maioribus descripta, vindicaret. Eam certè ante hosce annos in bibliothecâ maioris ecclesiæ superfuisse, titulus & ordo docent, vbi numerus XXXIII. VITAE STORMIS ABB. adscribitur.

CAPVT VII.

*Elogia veterum grauiumq; auctorum
de S. Sturmione relictâ.*

S. LVDGERVS in vitâ B. Gregorij Vitraiectensis Episcopi.

MS. Fuld.

STURMI venerabilis Abbas, vnus ex numero illo electorum Dei, quantum profecerit in eremo sua, post martyrium S. Magistri,
*Bocca-

Quod S. Bonifacio probante explet Fulda.

Saxonum conuersioni dat operam:

Magno animarum lucro.

Virtutum laude suis prælucet.

*Buccana silua in testimonio est; quæ prius omnimodis inculta erat ac ^{*Buccana} desertum: nunc autem ab Oriente vsque ad Occidentem, à Septentrione vsque ad Meridiem, Ecclesis Dei, & electis palmitibus monachorum repleta est.

CANDIDVS monachus Fuldenfis in vitâ Aegil Abbatis.

Sturmi primus Abbas & fundator monasterij Fulde, quem S. Bonifacius preceptor eius, eremitam suum vocitare solebat; morbo ^{Sturmi eremita dicitur à S. Bonifacio.} atque senectute lassatus, cœpit infirmari: qui etiam, non post multo temporum interuallo senex & plenus dierum, in pace migravit de hac luce temporalis, ad lucem, ut credimus, sine fine durantem.

Simili consilio atque deuotione idem (Ægil) bonæ voluntatis vir, ^{Anniversaria maiorum.} anniuersariam Sturmis primi Abbatis fundatoris monasterij Fulde, & memoriam omnium fratrum nostrorum de hac luce defunctorum, in natale S. Ignatij martyris Christi, qui paulo inferius ab hac anniuersaria numeratur, propter intercessionem tanti patroni, in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sanctâ, celebrare sanciuit. Huius rei siquidem constitutio dum cuncta Congregationi perlecta esset; ac deinde, si placeret, interrogatum fuisset, respondebatur ab omnibus; Placet. Sed, ne cui fortasse hac celebratio superstitiosa & cassi esse videatur, legat Collationes sanctorum Patrum; & ibi reperiet huius festiuitatis exemplum. Eadem verò die, ob reuerentiam tantæ solemnitatis, secundum congruentiam monasticæ vitæ, ad victum fratrum, cultius quid solito iucundiusque fieri demandauit. Lectionem quoque libri illius, quem de vitâ supradicti (Sturmis) Abbatis & origine monasterij (Fuldenfis) nuperrimè nominati, Christi gratiâ largiente composuit, fratribus ad mensam recitare præcepit; quatenus ^{Argil Abbas S. Sturmionis acta libro complexus, qui vitam suam perisset.} hi eadem mirabilia diuine operationis audientes, gratias diuine maiestati referre studerent; & omnis iucunditas ipsius festiuitatis, in eius laude personaret.

Inter vetustos huius ecclesiæ virorum aliquot illustrium rhythmos, hic etiam extat de sancto Sturmione, antiquitate par Ratgarij epitaphio:

Jam tenet æterna lucens ardensque lucerna,
Luna velut plena, quæ fulsit luce serenâ.
Macte Deo grate, tu terque quaterque beate,
Sancte pater Sturme, monachalis gloria turmæ.
Fuldam fundasti, ditasti, nobilitasti:

Bb

Nil

*Nil intentatum quod sanctum, quodque probatum,
Dux bone liquisti; diuina Deumque fuisi.
Ecce theoriae consors in parte Maria,*

* Pars

** Parsque beatorum memorum memorare tuorum,
Proque tua Fuldâ, nullo solamine fultâ,
Ipse coabbatum sacrum cogendo senatum,
Sis Moyses orans, Amalech pro cæde laborans.*

MARIANVS SCOTVS ad annum DCCLXXIX.
Sanctus Sturmus Abbas primus Fuldenfis obiit.

IOAN. TRITHEM. de viris illustr. Ord. S. Benedicti
lib. III. cap. CXCIV.

*Sturmus primus Abbas Fuldenfis, beati Bonifacii martyris ac
presulis quondam monachus atque discipulus; vir sanctus, & regu-
laris disciplinae amator & elosus, multis claruit virtutibus. Moritur an-
no Domini DCCLXXIX. cuius natalis XVII. Kalend. Ianuarij coli-
tur. Iacet in Fuldâ sepultus. Addo; spectabili quodam basilicæ
loco: sed ob ruinas casusque templi, collectis denique sancti viri
ossibus, & in arcam operis inaurati reclusis, in basilicæ sacrario
conseruatur.*

S. Sturmii se-
pulchrum.

Epistola S. BONIFACII XVII.

Data hæc, vt arbitror equidem, ad Frideslariensis monasterij
primarios cœnobitas; & nominatim ad Sturmen, post obitum
Wigberti Archimandritæ.

Monasticen impensius iis excolendam magister præcipit.
Munia cuique sua ex ordine tribuit. Sturmioni certè non tam
genere suo speciosum quàm animi cultu lætum: STVRME IN
COQVINA SIT. nempe ad ima demittendus, vt altiùs iacto
humilitatis fundamento, feliciùs post eius tanta fabrica con-
surgeret.

IOANNES BONIFACIUS Hispanus, Societatis IESV,
libro de rectâ Institutione.

Quia B. Sturmij laudibus & religioni dum inferuimus, ne
recentiora quidem aspernari possumus; placuit inter alios hic,
qui cum vbertate sermonis, totum hoc præconij genus colore
quodam rhetorico distinxit.

*Memoriæ proditum est, Sturmium, virum non modò genere, sed
etiam virtute scientiaque nobilem, eorum beneficiorum auctorem fuisse*
Germa-

Germanis, quæ verè appellantur bona. Cùm enim Germaniam à litteris & pietate alienam, variisque bellis & seditionibus agitatam vidisset, nec Germanæ iuuentutis indolem improbasset, quæ quales Magistros haberet, talis ferè esset; morum, doctrinæ, & pietatis officinas, id est scholas, optavit erigere. nec defuit voluntati facultas. Nam, fauente Carolo illo Magno, in vastas solitudines penetravit, * Fuldenseque cœnobium bonis auspiciis edificauit; in eo quadringentos monachos docuit; ex quibus multi, quæ erant eruditione & sapientiâ, ex Græco sermone in Latinum multa vertentes, gymnasium atque ædes insigni bibliothecâ nobilitarunt. Ne autem studiorum, studiosorumque moles tanta concideret, Caroli Imperatoris, & Bonifacii Moguntini Archiepiscopi liberalitas summa prouidit: Monasterium enim, quod à Fulda flumino nomen acceperat, agris, possessionibus, prædiis, pecuniis, vectigalibusque amplissimis, vterque locupletauerunt. Difficile explicatu est, quantos & quales viros schola Fuldensis enutriuerit, ex quæ velut sapientiæ, eruditionis ac optimorum morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi, mundo exhausto quodammodò doctorum virorum ingeniis, prodierint.

Declarant hæc, quantæ sit vtilitatis & fructus religiosa institutio; quàm profuerit illa domus, in quæ doctrinæ studia viguerunt, virtus floruit, & sapientiâ vtriusque particeps triumphauit.

CAPVT VIII.

Præuilegium Stephani Papæ Sturmioni Abbati concessum.

STEPHANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimo filio Sturmioni venerando Abbati monasterij S. Saluatoris, quod situm est in Buchoniâ super ripam fluminis Fulde, salutem & Apostolicam benedictionem. Quum semper sint concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, vt deuotioni conditoris piæ constitutionis auctoritas in præuilegiis præstandis non negetur; maxime in his locis, quæ nostræ Apostolicæ sedi specialiter subiecta sunt. Quapropter decreuimus, vt locum tuum, Fuldense scilicet monasterium, quod venerabilis frater noster Bonifacius Archiepiscopus construxit & edificauit, omnibusque bonis ditauit, in nostrâ semper habeamus defensione,

Bb 2

Roma-

* Scilicet eæ, quæ à Thuringis & Saxoniis tentabatur.

* Et Pipino patre, ac patruo Carolomanno.

* Duce ac præfide S. Bonifacio.

* Græca peritia rara vestigia deprehendimus.

veri
uitate
nes.
V